Kuczyński Chrysostomi Chloris caelica B. Salomeae, Regina Haliciae.
Crac. ap. Stanisl. Piotrkowczyk. 1673.

B
F

SA
A

*Vere*

S^mo.

*In Ec*

Per Fr

*Cracouiæ*

# CHLORIS CÆLICA
# B. SALOMÆA
## REGINA HALICIÆ
## ORDINIS SANCTÆ CLARÆ,
*SERAPHICI PATRIS*
## SANCTI FRANCISCI
&
## ALBI LESCI PRINCIPIS
## POLONIÆ FILIA,
*Vere perpetuo in autumno coronata, cuius decursum in sua Apotheosi aureâ messe ditauit.*

ANNVENTE

## Smo. Dno. Nro. CLEMENTE X. PAPA
ORBI PROPOSITA.

*In Ecclesia Fratrum Minorum* S. FRANCISCI *Conuentualiũ Humilimisque floribus,*

Per Frem CHRYSOSTOMVM KVCZYNSKI, Ordinis eiusdem, Sacræ Theol. Stud. Professum.

PANEGYRICE ADORNATA.

*Permissu Superiorum.*

CRACOVIÆ,
Anno VERBI Diuini humana in carne Florentis
M. DC. LXX III.
*Cracouiæ, Apud* STANISLAVM PIOTRKOWCZYK, *S. R. M. Typogr.*

Quasi flos Rosarum in diebus vernis, & quasi Lilia.

*Eccles. Cap. 50. v. 8.*

## APPROBATIO.

*Orationem, cui Titulus* CHLORIS CÆLICA, *B.* SALOMEÆ *Reginæ Haliciæ, &c. fragrantissimos virtutum flores Panegyricè recensentem, vidi, legi, cumq; nihil Fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium contineat, vt in lucem edatur facultatem concessi. Anno Dñi 1673. 10 Octobr.*

HYACINTHVS LIBERIVS S. Th. D
Præpositus SSmi. CORPORIS Christi, Canonicor. Regul. Librorum in Diœcesi Crac: CENSOR.

# CHLORIS CÆLICA:

*ILLVSTRISSIMIS REVERENDISSIMIS*

ILLVSTRIBVS & ADMODVM REVERENDIS

MAGNIFICIS ac GENEROSIS DOMINIS,

*D. D. Spiritualis ac Sæcularis Dignitatis, cæterisque omnibus Vtriusque ſtatus, Benefactoribus Patronisque ſuis.*

*Idem, qui ſupra. D. D. conſecratque perennem exoptans felicitatem.*

VEREOR ne in hoc lucis publicæ amphiteatro quiſpiam Æſchines inuidus laudis reperiatur, aut aliquis ſeuerioris cenſuræ Cato Cenſorinus de cœlo cadat, me admiraturus Ver in autumno propoſuiſſe, me nouum funabulum aut Mythologum nominaturus. A. N. Magnum namque opus molior, quod veretur, ne alicuius in Regno eloquentiæ Tullij ingenio minoretur. Et tenuitas ſterilis ſolertiæ deterret me, ne dum amphoram inſtituendam attento, currente rota vrceus exeat. Tempus namq; vernum aduenisse dum læto inauguro animo palleſco ad lucubrationem, ne vel oleum, aut ipſa ſepia furore autumni conſtricta, me deficiat. Prodigium ſcilicet quis non dixerit? quod, ſeptem, annumerandum octauum, Ver in autumno apparuiſſe,

*Horat. de arte Poetica.*

ruisse, iterumq; Floram redijsse. Vel ipsius rationis interna lumina considerent, Floram stipatam fragrantissimo satellitio, suo splendore destitutam, euanuisse. Videte Reginam florum Lilium, illud terræ ornamentum, nudum, illam plantarum gloriam, decerptam, illum oculum florum excæcatum, gemmam pratorum non ANTONII aut Cleopatræ manibus, sed Boreæ ferocitate contritam, illud Sydus agrorum, cecidisse, quod antea terreni cæli decus exstitit, nunc incultum. illum Solem hortorum, in tenebris. Quid iactas Iuno hanc REGINAM tuo lacte nutritam! quæ hyemis aconytis cadit, & cui Tibur de lacte præparaueras, in medio illius Sardiniam inuenit. Quo rosæ! O breue tàm liliorum quàm rosarum Ver! quæ suâ genuina purpurâ spoliantur, & quæ antea patulo hiatu, candidi oris ductu lætum orbi portendebant omen, iam nunc plusquam Pythagoricum sibi videntur indixisse silentium. Mirare Venus rosæ purpuram, quâ inuita licet, illam ornâsti, decorâsti! Intuemini si placet Hesperidum hortos, & vbi curiosè aciem oculorum conieceritis, fatebimini, non plus pro illorum pomis aureis, Draconem agere excubias, nec Alcinoum suis commorantem *achus:* in pomarijs, cum Bahusio loquar: Et quis poma det Alcinoo? Videte terrestrem hunc paradisum qui à vero haud abludit. Dædali enim manu videtur esse exstructus cuius claustra aut areolas illibens nunc visitaret Theseus, aut Ariadnes non adeò spatiaretur suum filo liberatura Theseum, vbi præsensêre fragrantiâ ac splendore florum, destitutum. Fatere Semiramis Regina, reclude pensiles hortos quorum dominio autumnus potitus, edax florum, nec non odorum, helluo amænitatis vernæ, nouerca prolis ipsius, effectus, floridissimam.

mam.

mam Chloridem, ſuis ſpoliauit ornamentis. At ſi, Eliſios ſcrutari libeat campos, nec amplius Cereris virorem intuemur, quæ à Plutone rapta, verita periculum ab autumno aut hyeme, euanuit. Quid iam ſupereſt! dum ruderibus inſepultam æſtatem video niſi vt dicam:

*Et Bacchi & Cereris nomine pauper humus.*

At benè eſt auditores, noſtra tempeſtas adhuc vernat, adhuc aurea meſsis regnat, aurea ſecula, floridum Ver ominemini. Autumnus abit, ver in autumno ſalutate, auream meſſem collecturi. Sed quid loquar! proh Deûm hominumq; fidem! aurea memoro tempora & vndique ferrum obſtrepit, vbiuis Martem graſſari, Bellonam infelix omen ſanguineo portendere flagello! ne: dum aurea vocitem, ſed exclamē cum Tullio. O tempora ô mores! Etiam hîc anceps hæreo, vt cum aureos vobis polliceor montes, in plumbeis conſiſtam, illudq; mordicus teneam, Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus: aut à Diuiniore Tullio illud referam, cæpit ædificare & non potuit conſumare. Ecce Diuiniſsimi Patris Noſtri S. FRANCISCI, eiuſq; Primogenitæ Plantulæ Diuæ Claræ hortū ingrediens, animo hilareſco, videns in illius areolis, aureum & vernū tempus clarere, tot floribꝰ exornatis. Iam perpetuū ver quiſquis eſt credat in autumno. Videte illud Lilium (Beatam loquor SALOMÆAM) Haliciæ & Diuæ Claræ florū Reginā. Intuemini Roſas in Viterbienſibus theatris de æſtiuis triumphantes, victrici, formoſitatis internæ, elæâq; palmâ donatas. Nec miremini.

*Hybernæ pretium ſic meruēre Roſæ.*

Iam abhinc ſaluam rem meam cenſeo, dum SALOMÆAM Ver in autumno reduxiſſe nobis lætus cōſpicio. Progredere ô Regina florum, veni in hortum odoris & aromatum.

 Deſcen-

Deſcende calceata Hyacintho, quicquid calcaueris, id ex voto Perſij & tui clientis Roſa tuis pedibꝰ ſternitur. Date Lectores manibus lilia plenis, Reginam horti Minorum ſalutaturi, adeſte floſculi Chloridem veſtram adoraturi. Procul hinc antiquitatis quæq; figmenta, veriùs hodie in S A L O M Æ A Lechicus Orbis Ver nouum videbit. Hanc ego Chloridem cælicam, inter Minorum Clauſtra florentem, Ver in autumno aut potius dicam hyeme nobis reddentem, & aureâ meſſe tempus præſens coronantem, dum Tibi candide Lector ſpectandam propono, inter candida huius appetentis veris Lilia ac oblectamenta, non inuitus quieſce, & in tàm florida materia libens commorare.

Non adeò infœcunda florum F R A N C I S C I Aſsiſinatæ tellus, vt alioquin Seraphicis irrigata imbribus hyeme etiam germinet, & ver, autumnum, aut hyemem, æſtatem, efficiat. A, Nec quiſquam paradoxum aut metamorphoſim putet ſi hoc tempus quantumuis autumnale floridum appellauero. Vernare nimirum autumnuſq; hyemſq; debuerunt, dum prodiret in publicum S A L O M Æ A flos Virginitatis. An non abundè florum habet Polona terra in campo Leſci? En adeſt nobiliſsima Chloris Cælica Haliciæ Regina, quæ ita floruit Regali Purpurâ vt nunquam virorem eius amitteret. Nec quæram Oedipum aut tripodem Apollinis ad illud diſſoluendum.

rgil: e- g. 3. *Dic quibus in terris, in Scripti nomina Regum*
*Naſcantur flores.*

Oſtendam nempe Lechicas oras, tàm felici ſub ſydere natas, vt Reges ac Reginas; veluti flores producant, in quibus nomina Regum. Vix S A L O M Æ A Regalibus cæpit florere natalibus illud adultæ Sanctitatis ſpecimen præſetulit vt vbi

alij

alij vernarent, illa autumnaret, ver ſemper in autumno præſeferendo. Nunc enimuerò:

*Nunc ver perpetuum, nunc formoſiſsimus annus.* Ouidius

Mirandum! adeò hæc cæleſtis Flora florere virtutibus Diuinis cæpit, vt dubium prius ne lac è materno vbere, an ſimul cum lacte ſugeret probitatem. In Pindari ore mellificâſſe apes, in ore Steſichori Poetæ infantis, Luſciniam conſediſſe, in Platonis os examen apum aduolâſſe, ad cunas Eſther Reginæ Philomelam ſuauiſsimè ceciniſſe literæ memorant, SALOMEÆ infantulæ, illa, nectare & ambroſiâ dulciora, Sacratiſsima Nomina, IESVS, & MARIA florent, hæc in ore hybla, hic Iubilus in corde. Dixeris cum Elia, igneo lacte MARIÆ nutritam, & ſic hanc Cælicam Chloridem efloruiſſe. At vbi clauſtra labyrinthumq; mundi inuiſit roſeum ver inuexit. Conſpiciat quiſquis eſt, quales ſpargat odores, qualibus ſtipata ſit floribus, nunc lætum celeuſma occinatis, Flores apparuerunt in terra noſtra. Age audacior in hoc florido eloquentiæ regno effloreſcat oratio! Exite iam ad vitæ gloriæq; lucem, huius Chloridis Cælicæ, nobiliſsima propago, flores, filij nobilitate adoptiui, vel hodie ipſum publicæ lucis decus, quandoquidem Reginæ Haliciæ Regali purpurâ nitetis, veſtro fulgore prouocate, cum Sole ipſo, clariora cæleſtibus ſidera SALOMEÆ, dimicate, externæ eiuſq; fugacis formoſitatis victricia. Vicit hæc Diuinior Chloris externum nitorem, cunas etenim vix egreſſa, ad virtutum cunas feſtinans acceſsit. Nihil effæminatum in illa, nihil ioculare quod puellarem mollitié redolere debeat, aut natura, aut nutrix ſuſpexit, hæc nempe, ab incunabulis puellarum contemptrix ludorum, cum cælitibus colludit, cui vel æthera naſcenti arriſerunt. Deli-

ciũ

cium vnicum M A R I Æ; quam ſciens eſſe Lilium à mundi ſpinis ab inſtanti ortûs ſui procul alienum, æmulata hanc florum Reginam, ei ſe voto obſtringit, ad vitæ ſuæ vltimam periodum, illæſum florem puritatis, ad honorem eius, conſeruandum. Ver tunc aureum crediđiſſes, niſi maturas virtutes in vere aduertiſses, ex quo eius amor inter Parentes adeò effloruerat, vt non filia, ſed Sponſa Dei, cui ſe mancipauerat, ab illis vocitaretur. O florem Pæſtanum ſuauiſsimè vernantem Solſequium: cui rectè illud ſyngraphe appendero, vni ſol. Sol inquam vni tibi, quia tu vnica ſoli perenni ô S A L O M Æ A, vel ſponſi nomine loquar: S O L A M E A. O te felicem Floram, quæ fructuoſum nobis in ipſo pudoris tui roſeo vere autumnum repræſentans, ſola ipſius Dei ſequi veſtigia, vt Solis orientis, intenſiſsimè cogitâſti. Videre licuit huius Cælicæ Chloridis internum ruborem, quem nunquam decolorauit, quia Albi Leſci Filia, nunquam mutauit, quia Pudici Soror, pudor namq; indiuiduus comes eſt Virginitatis. Erubeſcat nunc inuerecunda Venus, nullis cruentatam hanc Diuinam Roſam Cypri maculis, Illæſa manet. Pudeat Cypriam, hanc Floram impollutam creuiſſe, nec ab ipſa colorem imbibiſſe, Stemma pudoris, S A L O M Æ A M.

[...]mbolum [...]lliotro[...]pij. [...]mbolum

Quodſi de nitore externo de gratia illa & liberalitate formæ diſſeruero, ſi quis genarum niuem, ſi ebur illud frontis miſtum roſis viderit, etiam in hac ver perpetuum effloruiſſe dicet. Verbo complectar, Solem crediđiſſes niſi F R A N C I S C I atris nubibus obfuſcatum. Miratur Orbis Alcybiadem aut Narciſſum, admiratur Roma Lucretiam, mirare Polonia S A L O M Æ A M, quæ tum Reginam ſe fatetur dum vinceret appetitus, tum ſe pulchram exiſtimat, dum pulchritudinem, cor-

poris

poris exigui temporis tyrannidem ducens, animæ posthaberet. Pulchra sanè, quæ Sponsa, æterno Sponso, fædere, iuncta manet. Rectè illud posuero.

*Qualis gemma micat, fuluum quæ diuidit aurum* Virgi
*Aut collo decus aut capiti, vel quale per artem*
*Indutum buxu aut Oricia terebjntho*
*Lucet ebur, fusos ceruix cui lactea crines*
*Accipit & molli subnectit circulus auro.*

Ita sanè SALOMÆA natiuo emicuit splendore, vt cui Venus suam cederet gratiam, Iuno sceptra redderet, Pallas prudentiam communicaret, digna censeretur.

Dignam vel Paridis non minus tamen Colomani iudicio ANDREÆ REGIS Hungariæ filij illo pomo, Pulchriori detur, Orbis arbitratus SALOMÆAM, qui tàm grati odoris virtutum huius Præstantissimæ Chloridis inuidus, vere perpetuo coronatam & gratissimo comitatam florum moralium satellitio intuens, obtupescit, ac non diutius inter paternas areolas illam morari permittit. Prægestit animus Colomani nondum visæ, & adhuc latentis pulchritudinis florem, sagaci visu prælibare. Ratus sanè Domum suam Regalem florũ Domicilium fore, si Sanguini Colomani SALOMÆA iungeretur. Nolebat ista Chloris Cælestis florem suæ castitatis è cælestis Sponsi horto, quem pasci viderat inter flores liliorum, spineto Hungarico facilè concedere, inquiens: se Paranymphorũ cælestium vti consortio, dedecereq; terreno Principi Sponsam cælestis Sponsi, copulari. Luctatur Parens cum Legatis Andreæ Regis, ac tandem longiores inter moras renuit sponsalitia. Quo percepto Rex Andreas, minis aggreditur, quod supplex precibus extorquere nequiuit, minitatur Regi, & Regno à se exitium, intendit deuastationem. Sed compositis affectibus,

cùm minùs minæ profuêre, iterum precibus tentat, Purpuratos Poloniæ, feciales coniugij mittit. Quid tunc in tanto amatæ integritatis discrimine eum facere decuerat? Nouerat benè priuata, offecisse bono publico, quod illis anteponit: ac tandem consilio Regni Procerum, SALOMÆAM matrimonio iungit Colomano. Mittitur Floridissima illa Chloris è domesticis Penatibus in hortos Hungariæ, meliorem datura odorem, & vel in matrimonio perpetuo vere, cælibatûs, coronanda, illud Apostoli totissimo hauriens pectore, Et qui nubunt, sint tanquam non nubentes, non alio res euenit, quàm vt coniunx Regis facta, regalem thalamum renueret. O felicem coniugem quæ semel Deo coniuncta disiungi haud poterat! Hæc est, quæ nesciuit thorum in delicto, illa est vxor nesciens virum. In thalamo etiam coniugali Ver perpetuæ Virginitatis floruit, quod nunquam abijt in hyemē, nullo, non die æstatem portendendo. Prodigium! vxorem esse & trepidare ad viri obtutum: ac inter blandientis insolentisq; fortunæ ludicra non insolescere: nec miremini, etenim humanas inter nuptias ipsi nubilis Deo Diuinos amplexus prælibârat. Et mundum exosa, ad cælestis Sponsi complexum, magis, quàm ad terrena nuptiarum fœdera, festinauit. Quare ipsum etiam Colomanum ad pactum perpetuæ Virginitatis ignito sermone concitat ineundum, vt qui Albi Filiam sibi adsciuerat, & Pudici Sororem, ipse candoris ac pudoris, non gener modo sed frater efficiatur, quod non aliter à Supremo rerum arbitro est ordinatum. Quanta tunc in maritali vinculo effloruit sanctitas! Non illam delicata regis palatia sibi attrahere pote-

*Esther* 1. 6. rant, ad quæ vti Assueri pendebant omni ex parte tentoria coloris àërei, carbasini & hyacinthini, sustentata funibus byssinis

atque

atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur, ipsi lectuli aurei & argentei super pauimentum Smaragdino & pario lapide stratum, dispositi erant, quod mirâ varietate pictura decorabat, etiam inter hæc Esther facta, intaminata floruit. Nec illam vt formosissimam Iudith illud conopeum quod erat ex purpura auro & Smaragdo, & lapidibus intertextum mundo sociauit, Nouerat optimè quod *Iudith cap.*

*Non benè conueniant nec in vna sede morentur*
*Maiestas & amor ---*

Maiestas scilicet Regiæ Colomani & Dei dilectio. Non fracta in mollibus. in quibus immobilis columna, vt altera Lucia facta. Primam dotem Colomano dedit, pudorem cum castitate. Theodosiana aula schola aliquando virtutum, magistra morum appellata, at coniugium SALOMEÆ Schola probitatis, ipsa verò magistra puritatis. Brasiliensem herbam, cui nomen viua, dixero hanc Cælestem Chloridem, quæ ad viri accessum tremula contrahitur, & conglobata constringitur. Indorum arborem vocitâro, cui cognominis. Pudor. quæ sæpissimè adueniente viro colligitur, post verò libera panditur. Florem pudoris aut herbam appellet quisque SALOMÆAM, quæ sub regali purpura ardentes mundi technas extinxit. Discat iam Orbis non solius esse Herculis Hydræ septicipitis capita adurere, etiam hoc Lernæum monstrum puritatu in hians, confecit SALOMÆA. Hæc est illa *Symbolu* *In eleg. ti Vespa*

*Quæ præstat virtute sua, ne prisca vetustas*
*Laude Pudicitiæ secula nostra premat*
*Quæ veneris formam, mores Iunonis habendo*
*Sola est cælesti digna reperta viro.*

*Ouid. 3. de Ponto*



O verè

O verè dignam cælesti Sponso SALOMÆAM! quæ mundum perfrictæ frontis, pudoris Stemmate exornauit. Coniugem Penelope castiorem, Atalantam, dignam cælesti Hyppomene cuius nitor floruit externus; exemplar interni. Tàm ergò inter flexuosos anfractus areolarum coniugij, Pluto ille infernalis faces subministrat, extinctam in sacro coniugio libidinis tædam accensurus, hanc Cælestem Chloriolam suis spoliaturus ornamentis. Pollicebatur sibi vt de Cerere sic de SALOMÆA triumphum, sufficere sibi putans florentissimam hanc Floram decolorare, vnius macula castitatis. Succendit aliquoties mariti animum hic Stygius Holofernes, sed cecidit, maiore prostratus Iuditha, SALOMÆA. Quam, dum pretiosius ornatam Colomanus deprehendit, ac murice radians corpus apprehendit, accenditur. In Leone tunc Solem stetisse credideris nisi SALOMÆA Sagittarij Domum ingressa, illum confecisset. Extinxit facilè hunc Ætnam flammas vomentem, extinxit hunc Syrium fatuos ignes eructantem, illud Pneumate Sacro sibi inculcante, Pactum, quod semel cum Deo pepigisti, Colomane, caue, ne soluas. Portentum! etiam tunc ignē extinxit. Laricem dixeris nunquam combustam. Rubum Moysi medijs in ignibus virentem Salamandram sanctiorem credidisses, quæ igne pasta, vsta nunquam, cum eo igne quo ipsa accensa erat, & flammis quas pertulit Diuini amoris ipsum ferme Colomanum calefecit. Non poterat ignis profani tormenta sentire, quæ sensibus paradisi refrigeria possidebat, & superni amoris igniculis vrebatur, & dum æterni Sponsi ardet desiderio mundi flammas haud sentit. Segnior nempe fuit ignis qui foris vssit, quàm qui intus accendit. Quantus hinc rogus excitatus in SALOMÆA, cui non Nero aliquis trabeatus vltrò

*Ambr. de S. Laur.*

*August.*

feralem

feralem subdidit facem, sed ipse subiecit ignes, amor hominũ, DEVS. O quàm beatũ incendium! vtinam hoc Orbis vratur, & facilius illius tormenta extinguantur. Etiam vel in medijs flammis floret hæc floridissima Flora, ver perpetuum mundo præsentans. Et quis hac tempestate Paris est, qui vel hodie, scyllas charybdesq; Oceani ad rapiendam Helenam non emetiatur? Quis est Priamus, qui Troiæ parceret, ne eam Marte vulcanoq; fatiget, modò Helena sua potiatur? potius dixerat:

*Nomine digna fuit, Troia perire tuo.*

En tibi delicate Lector cælibatûs Idæam, castitatis specimen coniugium SALOMEÆ & Colomani. Quantùm effloruerat in tam ambiguo Labyrintho! Vidit tunc Rex in sua coniuge florere verecundiã quam verè Pudoris Sororem aut ipsũm Pudorem agnouerat. Vidit candorem puritatis, quem ab Albo Lesco hauserat. Non procul nempè à proprio, stipite poma cadunt. Illa nihil in verbis procax, in actu inuerecundũ. Contemnit Tyri colores, spernit capitis diadema regale, duas Coronas pro vna cælesti mutuatura, ciborum parsimoniam cum Zoroardo conseruat, narrans: hunc sic cibandum, cui virtutis gustus est. noctes in somnes ducit, ceruical molissimum, humus, tunc se optimè dormijsse dictitans; cum pro tuenda puritate vigilaret. Verè igitur coronata Roseo verè cum sic floruit, vt ipsa eius species simulacrũm fuerit mentis figura probitatis. Sed quid ego huius Cælicæ Chloridis delicias, quid flores enumerem, enumerare quis poterit inenumerabiles? Si in hortũ Diuinæ istius Chloridis descendero. Quot virtutes, tot lilia purpureasq; rosas videbo.

*Candida purpureis lilia mista rosis.* Ouid. Fast.

Rosas inquam cælestis Sponsi manibus haud indignas

*Rosa flos odorq́; Diuum.*

Benè lilium mansuetudo, habens candorem innocentiæ, odorem spei. Bonum lilium veritas, candore conspicuum, odore præcipuum, Bonum lilium iustitia. Iustus germinabit sicut lilium. Ponam primum, innocentiam, & si huic iungere continentiam quiuero, diuitem me putabo in possessione liliorū, inquit mellifluus meus Bernardus. Rex autem sum, si tertiam addidero patientiam. Regina horum omnium floruit SALOMÆA. Et sicut lilia, cum mellifluo loquar Pericle, orta de terra, nitentia super terram, eminentia in floribus terræ, fragrantia super odorem aromatum, ita Diua SALOMÆA, orta de terra, non tamen terræ infecta contagijs, sed emicuit super terram, adeò, vt veluti à forma sua materia, sic animus ab ipsa speciem acciperet candoris, Iam habes principatum, Regina florum & Haliciæ SALOMÆA.

i. ser- 70. Cant.

Sed manus de tabula. Ad messem auream festinat Oratio. Cum Stratocle iudice loquar; qui saccum suum alloqui solebat, Eamus sacce ad messem auream. Indum quis inundantem orbem dixisset. cum aureas cæteras virtutes, ex quibus auream messem quisq́; facilè colligere poterat, perpendisset. Aureo alias stilo digna aurea messis Diuæ SALOMEÆ, aut Chrysologi, aut Chrysostomi manibus demetenda, aureis elenchis adnotanda. Hodie tandem.

arch.

*Aurea prima sata est ætas.*

di. in amor. ves.

Ferrea hactenus Saturni gustâstis secula, iam nunc detersâ ferri rubigine, adamantino: aurea videbitis. Habes ô Chdistiane orbis quod tibi gratuleris.

*Hunc Polone diem meliori nota lapillo*
*Qui tibi labentes apponit candidus annos*

Mi

Mithridates olim in somnis visus est sibi, messem auream colligere, tu Lechia tàm ex Virtutibus quàm beneficijs portentosis Salomeæ, veriùs & faciliùs leges.

Commentum antiquitatis incultæ liquidò patet vniuerso, quæ Palladis suæ è Iouis cerebro fabulosi natæ, dum Genetliacum memorat, aureos imbres, aureas grandines, sibi venisse somniat. Procul hinc figmenta, quæ nullius veritatis argumento roborantur, veriùs ego aureum nunc nobis offulsisse seculũ in tua, o Beata SALOMÆA Beatificatione video. Non illa,

*Flumina iam lactis cum flumine nectaris irent;*
*Flauaq; de viridi stillarent ilice mella.*

Sed talia, quibus Sarmaticus orbis plenis alueis, aurum gratiarum cælestium accipit. Absit ô Diua Tutelaris nostra, vt Tibi commentitiam Palladis tribuam apotheosim, vel hodie ipsis fauentibus cælicolis,

*Grandinat gemmis riguoque cælum*
*Depluit auro.* Sarbievius.

Ne vereare ô cara Patria Polonia famem, præstò adest Salomea, quæ vel suo nomine abundantiam vbertatemque ALOMEAS, appromittit. Etiam citra periculum ac probrum Midæ aureas delibabis delicias. Adeste, quotquot iam aurum, pretiosius Phrixi vellere, collegistis. Vos hic appello Thyresias, qui luminibus destituti, auream hanc ætatem vidistis, Argi centoculi facti. Ad sonitum lyræ Orphei.

*Repserunt scopuli mirandaq; sylua cucurrit,* Martia[lis]

ad SALOMEÆ aurum colligendum beneficiorum Vulcania proles relictis sustentaculis, Pardis velocior, Sagittâ ocyor venit. Currite etiam nunc in eius apotheosim ad tumulum eius beneficia reposituri. Huc vel è busto sepul-

chrali

chrali Memnonês, aureo sole SALOMÆÆ, animatæ statuæ, in eius gratias cum Ati aut Zacharia obstacula linguæ, post diuturna silentia, mille ora resoluite.

Loquantur sepulchra quæ operiendos suis visceribus vitæ reddiderunt, Narret vel tuum o Diua miserorum Præses SALOMÆA sepulchrum, quod non Orphei Luscinias, sed sacrum tuum pignus conditum tenet, ad quod triduani Lazari relati, superuixêre. Te appello Istula! quoties inuitus Nilum te mersis veluti Ægipto, gratijs huius Sponsæ Dei exundans, præbuisti, etiam tu Eridane auream hanc messem irrigâsti, toties, quoties haustos tuis voraginibus, mundo restituisti. Concurrite ad tumulum felices debiles, ad quem desideratæ sanitatis munus obtinuistis. Lucinam quisquis appellârit Diuam SALOMÆAM, à veri limite haud recederet vt pote quæ aureæ lucis suæ radios absque inuidia, infinitis communicat. Quod soli quidam affixerat IDEM PER DIVERSA, id ego huic cælesti Lucinæ inscripsero, omnibus eandem se diuersis licet in locis, præbenti, omibus auream messem beneficentiæ spargenti. Et fatear.

*Mille Dea operum est.* *Ouidius.*

quæ mille portentosa beneficia miseris periclitantib[9] porrexit. Adeste insuper illi de quibus Parca nulli parcens, ouationem instituerat, de qua triumphâstis, auream messem salutis colligentes. Felicia sanè tempora, verius aurea, quàm dies Neronis auro illustratus. Iam diues es Polonia, in aureum nempe degenerâsti seculum, dum adeò felices thesseras spargit B. SALOMÆA.

*Et genus & formam Regina pecunia donat.*

Nec te mihi licet o Beatisime Pater silentio inuoluere, cum ipsa

ipsa etiam Lechia tantam auri copiam obtinens, non aliunde venisse illam admiratur quàm à tuis aureis stellis, quæ adeò in inferiora influxus suos diuertêre, adeò suis operantes radijs, vt abundè auri sibi existimaret superfluere. Tuæ id munificentiæ genus, qui largius Petri clauibus vsus, tantum thesaurum nobis aperuisti. Nouum te Thimonem Atheniensem nobis ostendisti, de quo ne quisquam nostrum querulus inueniatur, omnibus nobis sinum beneuolentiæ apertum esse voluisti. Felicia tempora aut verius aurea dicam quæ te Clementem decreuerunt. Videmus, quàm

*Conueniant rebus nomina sæpè suis.*

Verè enim te Clementem præbuisti, cum tantæ Clementiæ Minoribus documentum concesisti. Alexandrum te potius vocauero nisi Clemens fores, qui ei se debitorem credebat, qui à se nihil cogitaret expetendum. Cuius tu premens vestigia, clementiæ thesaurum reseras, desiderijs nostris feliciter finem imponendo. Refloruêre secula nostra ad influxum stellarum tuarum, adeoq; cælum empyreum effecta Polonia, cum tantam abundantiam clementiæ de Clementinarum stellarum operatione hausit. Tibi hæc secula, huius Reginæ, perpetuo vere coronata, tibi autumnus aureâ messe beatus debentur. Tibi hoc aurum tenetur refundere Christianus Orbis, quem liberaliùs, quàm fortuna Nassam Timothei, eodem impleuisti, arctiùs munificentiæ tuæ, quàm Xerxes auri catenis Hellespontum, vt desuesceret furere, deuinxisti. Pro quo in cælesti gynæceo.

*Hæc tibi Diua parit palmam Laurumq; virentem.*

Habetis hospites Dignisimi, quod colligatis, spargit flores Regina florum Chloris, largitur munera Regina Haliciæ. Se-

quimini hanc Cælicam Chloridem floribus gratiæ cælestis sti. patam, liberaliter fundit dona. Parcas nemo memoret, non parcè seminauit auream messem, vt in abundanti metere tis. Floridum attulit ver. vt reuiresceret Polona felicitas, etiam vel in ipso obitu vernat. Pro cuius documento, sufficiet illud, quòd dùm illa Beata anima in modum stellæ aureæ in cæleste migraret Capitolium, descendunt purissimi Spiritus, illæ Beatæ mentes lætum illud occinentes celeusma, & vernantem florentemque propallant vniuerso: Fronduit, floruit, Aaron Virgula. Habetis debiles odorem, qui veluti alterius Catharinæ in monte Synai, abundè de Sacris prouenit profluitq; Reliquijs SALOMEÆ. O verum ver in autumno aut hyeme loquar. O felicem vitam, cuius exitus viuere est, Beatam Chloridem, cuius mors risus est, ad cuius tumulum lessi locò, genethliacum occinit cælum, ad cuius Sepulchrum pro cupresso laurus floresq; virent. Dum verò.

an. Diu- s de San t. B. Sa- omea.

*Tenues secessit in auras.*
*Mansit odor, posses, scire fuisse Deam.*

nd: in- stis.

Iam vere perpetuo coronatam, cælum recipit. Ingredere felix, Sponsus æternus fert diadema tibi. I felix ô SALOMÆA. cùm à Paranympho Cælico, veni, SOLA MEA audis, veni, coronaberis. Procul hinc Cæsar quadraginta elephantibus procul Antonius Leonibus, procul Aurelianus ceruis in Capitolium vecti Romanum. Habes Albi Lesci essedum. Albis inquam puritatis quadrigis inter Sidera deuehâre, Albas narro, quia ab albo parente mutuatas, cum tàm ab albo quam Pudico intrinsecam animæ sumpseris denominationem. Conuolatæ Polonæ Aquilæ, columbam, quam progenuistis in cælum translaturæ. Canat Pòëta pallinodiam, iam progenuêre aquilæ Polonæ columbam. Habes cælum

lum ſtellam polarem aut Polonam? Sed quid mea exilitas vlterius ſatagit, cum Pauciores hic literas quàm Tua o Diua SALOMÆA decora numeraueris Accipe benigne lector, non tàm ingenij partum, quàm ſubmiſsionis compendium. Accipe ô Sereniſsima Chloris gratiſsimorum tuorum florum, futilem vmbram, quam ad Tuum tumulum ſupplex depono. Sparge tui fauoris in clientes, flores, & quæ ver nobis attuliſti in autumno, fac ne tui calcanei Minores hyemem mortis experiantur, ne fuga noſtra fiat in hyeme. Tu quæ autumnum aureâ meſſe ditâſti, aureâ gratiæ Dei nobis affatim depluas. Non plus pingemus Tuos ô florentiſsima REGINA, ſepiâ, flores virtutum. Sed cum te inter cæleſtis Sponſi amplexus quieuiſſe ſcimus, nobis rectè duximus quieſcendum

DIXI.